

#### AVVERTENZA DEL TRADUTTORE.

Giunto al termine della versione dei presenti *cenni biografici*, mi avveggo dover fare avvisati i miei lettori, che essa versione, incominciata già con certo scrupolo di letterale esattezza, andò poi a poco a poco pigliando forme alquanto più libere, sino a divenir talvolta quasi una parafrasi: al qual modo di procedere mi confortò gentilmente lo stesso Autore. Coll'indugiar poi per una o per altra ragione il pubblicarsi in italiano questi *cenni biografici*, avvenne che si ponesse mente ad alcune particolarità sfuggite o tralasciate nell'originale: le quali vennero qua e là opportunamente inserite. Anzi, all'Autore venne fatto di poter descrivere le feste dei giorni 20 e 25 di Aprile, e di annoverare gli omaggi presentati al De Rossi in tali occasioni; aggiungendo in siffatto modo nuovi capitoli alla sua opera ed accrescendone altri. Pertanto questi *cenni biografici* in italiano sono divenuti come la seconda edizione, piuttosto che versione, del primo lavoro tedesco.

Una cosa potrebbe sembrare meno conveniente nel tenue omaggio che volli rendere agli alti meriti del Comm. De Rossi: ed è che avrei dovuto offrire un presente da archeologo, non da semplice traduttore. Nondimeno ove si sappia che io sono abbastanza nuovo non meno nella professione di archeologo, che nello studio della lingua tedesca; e che di questa mi occupo solamente per amore alla sacra archeologia, affin di attingere nella propria fonte ciò che i dotti Tedeschi ne hanno scritto e vanno tuttodi scrivendo; mi si menerà buono, io credo, il divisamento di aver dedicato al *Principe dell'archeologia cristiana* le primizie d'un frutto, che vo coltivando solo per amore di questa scienza; e con ciò reso pure non piccolo servizio alla medesima, rendendo popolari gli esempi del come in essa si divenga sommo.

Da ultimo debbo rendere pubbliche grazie ai buoni amici, che mi hanno agevolato il riuscimento dell'edizione italiana: innanzi tutti al Chmo Comm. Enrico Stevenson, il quale mi perdonerà, se non ostante la sua modestia, che assolutamente e replicatamente si ricusava ad ogni lode, io mi faccia lecito di almen nominarlo.

G. BONAVENTA.

#### DE STUDIIS


IOANNIS BAPTISTAE DE ROSSI

AVCTORE

IANVARIO ASPRENO GALANTE

---





DE STUDIIS  
IOANNIS BAPTISTAE DE ROSSI

AVCTORE

IANVARIO ASPRENO GALANTE

**S**i quid unquam fuerit quod viro benemerenti sempiternam hic in terris gloriam pariat, laudes profecto sunt, quibus non vita functum posteris, sed viventem adhuc aequales prosequuntur. Quamvis enim fama etiam post mortem invidiorum linguis impetatur, gloria tamen meritis quaesita perenne demortui viri trophaeum constituit; viventem autem hominem laudari, et universis prorsus suffragiis extolli, id, si quando rarius obtigerit, nostra potissimum tempestate, incredibile prorsus videtur. Huiusmodi sane trophaeum est, quod tot tantisque sive profanae sive sacrae antiquitatis spoliis congestum, omniumque doctissimorum hominum consensu, clarissimo viro Ioanni Baptistae de Rossi modo decernitur, quem Deus sapientium omnium votis obsecundans, ad obstipam sospitet senectutem.



Archaeologia christiana, qua late patet sacrorum studiorum palae-  
stra, principem nunc locum tenet; Christianorum monumenta ubicunque



delitescunt in lucem vindicantur, ad severiorem trutinam revocantur, commentariis illustrantur et collatis undequaque reliquiis singula in classes rediguntur. Historia, ut vera sit vitae magistra, archaeologiae testimonio innititur, Christianarum artium decor a veterum typis repetitur, ipsarumque litterarum cultura et sacrorum Scriptorum intelligentia non nisi investigandis veterum moribus hauritur. Olim archaeologiae sacrae studium ad eruditionis tantum calcem amandabatur, et quamvis ubicunque cultores non paucos, eosque ingenio, labore, sapientia praestantissimos habuerit, nemo tamen umquam fuit, qui omnigenas veterum Christicolarum memorias ita mente amplecteretur, ut omnem sacrae eruditionis copiam ad scientiae celsitudinem eveheret; nemo quamvis ingenio praestans et universo eruditionis penu ditissimus, qui ad suprema principia omnia Christianorum monumenta redigeret; nemo qui rectum divinandi sensum, accuratam investigandi rationem, illustrandique aciem adhiberet, et, ut uno verbo dicam, sacrae archaeologiae leges conderet. Hoc amplissimi magistri Ioannis Baptistae de Rossi munus fuit, cuius ingenio factum est, ut christianae artis monumenta in unum redacta studiosiorum mentibus inlarescerent, et sacra archaeologia non modo inter theologicas palaestras, sed et inter omnigenas studiorum omnium cathedras, scientiae nomen sibi, iure quidem suo, vindicaret. Post tanti viri conatus nulla prorsus scientia, nulla pars artis est, quae archaeologiae fundamentis, in sacris potissimum studiis addiscendis, non indigeat; nulla catholici orbis ecclesia est, quae monumenta sua clariore luce innotescere non viderit; nulla Christianorum regio, a maxima scilicet Roma ad extremas usque Libyae et Mauritaniae et ad remotas Phrygiae et Daciae plagas, quae monumenta sua ad tanti viri leges non expenderit.

Cum autem ad Dictatoris huius nostri in universa re archaeologica trophaeum constituendum vel dissitae gentes, quocunque non modo christiani nominis, sed et qualiscunque eruditionis generis vexillum hucusque illatum fuerit, Romani veluti ad Capitolii arcem contendant et sua signa conferant et triumphatori felicitatis vota nuncupent, nulli prorsus secunda siet, quae Campaniae finibus continetur.

Siquidem magna est apud Nostrates Christianae antiquitatis copia, eaque tanti momenti est, ut si una exceperis Romanae Ecclesiae monumenta, nullibi regio inveniatur, quae Christianis antiquitatibus locupletior videatur. Nec defuerunt praeclarissimorum hominum ingenia, quae ab exeunte superiore saeculo ad ea illustranda mentem animumque

converterint. Quis est unquam, quem magni Alexii Symmachi Mazocchii nomen lateat? Atqui Symmachus hic noster, totius Europae litterariae miraculum, licet marmoreis tabulis illustratis aeternam sibi famam comparaverit, archaeologiae tamen sacrae auspiciis tantum, ut ita dicam, fecit, nullas vero leges sancivit. Symmachum plerique in nostris regionibus sequuti, veterum memorias Christianorum investigare et illustrare pro viribus coeperunt, uti Alexius Pelliccia Neapoli, Monachus et Peregrinus Capuae, Remondinius et Ambrosinius Nolae, ut recentiores praeteream, sed ii, non secus ac in caeteris Italiae, Galliae, Germaniae regionibus, magno sacrae antiquitatis amore illecti ad singula monumenta illustranda animum applicuerunt, nunquam autem e singulis monumentis certas leges sancire sunt ausi, quae iuventuti potissimum ecclesiasticae erudiendae praesto forent.



Immortale opus et instar miraculi spectatissimum, quod a Ioanne Baptista de Rossi incredibili labore exaratum ROMA audit SVBERRANEA, non Callistiani tantum coemeterii illustratio est, sed totius sacrae archaeologiae fundamentum; *Corpus Inscriptionum Christianarum Urbis* non Urbis tantum fastis lucem affert, sed totius *Christianae Epigraphiae* leges sancit, consularibus notis apprime digestis; quibus utique voluminibus, ut caetera tanti viri scripta praeteream, si locupletissimum illud adjicias antiquitatum Christianarum promptuarium, quod Ephemerides ab anno MDCCCXLIII inceptas amplectitur, nullo quidem alio indigeas subsidio, ut sacras qualiumcunque civitatum fastos quanta maxima illustres luce. Nemini dubium est, quin universa pene Christianarum antiquitatum scientia a sacris Christianorum coemeteriis abunde hauriatur; nam apud Christianos coemeteria non mortis referebant sed vitae imaginem, sepulcra non ad interitum sed ad depositionem tantum corpora, quae resurgendi diem praestolabantur, excipiebant, non luctus sed spei tantum et effusae inter fratres caritatis symbola; inter mortuos enim et viventes vincula non dissolvebantur, sed arctius devincta frequentissimas per ambulacra, per cryptas, per areas Christifidelium turbas devinciebant, quae catervatim non